

2237

A S C E T I C I.

2238

sus ex psalterio. Item Compendium vere vite humane pro Serenissimo domino Maximiliano Nobilissimo sub sole adolescentulo. Erat is tum decennis. Compendium istud nil est aliud, quam locus Matth. c. 7. Omnia quecumque vultis, ut faciant vobis homines &c. diversimode latine et germanice redditus. Fol. 18. Liber sancti Bernbardi de Conscientia. Fol. 27. Oratio sancti Gregorii pape, ejusque Expositio Psalmi: Miserere mei Deus. Fol. 35. Oratio sancti Thome de Aquino. Fol. 36. p. 2. Documentum morale super 7. condiciones puero- rum. Ad infimam oram minio: Pro serenissimo d. Maximiliano documenta salutis puero utique nobilissimo huius mundi. Fol. 42. Hystoria abbreviata Barlaam delectabilis et edificatoria. Capp. 37. Fol. 62. p. 2. E Dyalogo Cesarij (Heisterbac. O. Cist.) Distinct. 5. Narratio de secta albigen- sium. Fol. 64. E legenda Sancti Colomanni patroni inclite regionis austrie. De Corpore ejus in Hungariam lato et relato. Fol. 66. De sancto Jobanne Damasceno. E Vincentii Speculo. L. 17. c. 103. Fol. 69. Nostra et non aliena peccata debemus pre oculis habere. Exemplum Abb. Pyoris e Vit. PP. Fol. 70. Ex dyalogo Cesarij distinct. quarta. De Liberalitate. Fol. 71. p. 2. Exemplum valde dampnabile est scienter non integre confiteri &c. Fol. 76. Quedam de Contemplacione seu meditacione. Fol. 77. Varia de Passione Domini. Fol. 84. Ex-

posicio dominice orationis Sancti Augustini episcopi. Fol. 88. Sermo XVIII. Ejusd. in Dominica die ante inicium quadragesime. Fol. 92. p. 2. Quaedam e Sermone S. Maximi Ep. de dominica in medio quadragesime. Fol. 95. Ad milites Exhortatio sancti Maximi. Fol. 96. Quaedam de Libro Consolacionum. Puto Johannis de Tambaco O. P. En igitur primam Lancem saturam Leonardi nostri, a qua disjungi non debet Altera; Duos enim ab Eo Libellos Fridrico oblatos fuisse, supra audivimus.

DLXXXVII.

Codex chartaceus lat. Sec. ³²⁰ XV. Folior. 104. 4. Est Pars altera Collectaneorum F. Leonardi de Valle Brixin. O. P. Fridrico III. oblatorum, ut Nota, quam e P. I. supra dedi, hic repetita testatur. Continentur vero hic sequentia: Fol. 2. Quidam modus mitigandi iratos. Capp. 13. Fol. 4. De Conditionibus Itineris. Ad oram infer. Pro Domino Cesare iam disponente se ad viam versus Romam. Anno &c. 1468. Omnia 7. Capp. moralia. Fol. 7. Libri I. Thomae Cantiprat. de Bono universali seu de Apibus Caput XIII. excerptum. Fol. 11. Inductio quedam potentium ad libenter cogitandum de sua morte, occasione Alexandri Magni. Fol. 14. Tractatus quidam de Indulgentijs multorum dubiorum utiles continens et necessarias soluciones, lectus in uniuersitate

tate wienn. nouiter a fratre N. leſtore conuentus wienn. ordinis predicatorum in Austria. In hoc Tract. fol. 18. p. 2. legitur: Sciendum quod dominus noster sanctissimus singulariter uoluit honorare hanc ciuitatem wienn. precipue propter gloriosissimum dominum nostrum Imperatorem Fridericum 3^m in hoc quod omnes incolae qui uolunt possunt absolui a fratribus in casibus non solum simplicibus sed etiam episcopalibus. Et in anno septimo etiam a papalibus &c. Autorem Tractatus huius Leonardum ipsum esse non dubito. Fol. 38. Tractatus seu sermo beati Augustini episcopi de igne purgatorio et de differentia peccatorum uenialium et mortalium. Distinctus in Capita praemissis Inquisitionibus ejusdem Lectoris. Fol. 50. De indulgencijs tractatus Antonini archiepiscopi quondam florentini cum distinctionibus et inquisitionibus praevijs ejusdem Lectoris. Fol. 80. De insigni obedientia et fide uxoria. Nota illa *Griseldis* Historia ex Italico *Joh. Boccatii* latine redita ab ipso *Franc. Petrarca*, et sub Typographiae initia, etiam germanice, saepius excusa. Fol. 100. p. 2. Narratiunculae quaedam de *Henrico III.* Imp. et *Carolomanno*. Demum Fol. 102. *Epistolae* binae *Leonardi* nostri ad *Fridericum* Imp. In priore: Jam pluribus annis multisque vicibus nunquam recessi a conspectu vestre maiestatis nisi letissimus et generose quod mirabile erat, exauditus. — Mittimus saltem mo-

dicissimum quiddam magnitudini vestre per honestum studentem ac fide dignum *Georgium* de *Ratispona* presentium exhibitorem. Ceterum pater noster prior *Magister Jacobus* vestre Maiestati suas et conuentus sibi crediti humillime offert oraciones &c. Ex *Wienna* In *Dominica* proxima post diem sancte *Elisabeth.* Anno domini 1468. In altera: Dudum quidem colligere debuissim illa quae in *Grätz* addixi mittenda pauca (Enumerat ea, quae in II. hac P. contenta sunt) sed quia decreui plura mittere (videlicet P. etiam I.) ideo interuenit mora. Alia ratio, quia nesciui tam celere recessum vestre maiestatis. Tercio fuit impedimentum quia postquam ueni de *grätz* pluribus septimanis fui debilis grauer. Quarto quia frequenter occupor in officijs lecture ac etiam *Decanatus*. Nota chronologica caret isthaec *Epistola*, sed *Decanatus* me ad eruendum Lectoris nostri Cognomen deduxit; dum enim in *J. Jos. Locheri Speculo Acad* in Facultatis *Theol.* *Decanum* anni 1468. inquiri, offert se mihi *Fr. Leonbardus Huntepicbler Ord. Praed.* cui in *Operis* indice additur: de *Valle Brixinensi*. Atque ex eodem *Speculo* doceor, *Decani* eum munere ab a. 1450. usque ad a. 1468. quinquies functum fuisse. Nihil de hoc, neque de *Gratia*, qua apud *Fridericum* polluisse videtur, intellexerant *Bibliothecarii* Ordinis sui, solam *Partem II. Miscellaneorum* T. I. p. 843. recensentes, quae

2241

A S C E T I C I.

2242

quae eis e *Lambecii* L. II. p. 802. innotuerat. At en Partes duas, quas *Leonardus* ipse in *Indice Parti II.* subiecto ita distinguit, ut a Thecae colore *Partem I. libellum nigrum*, II. vero *libellum rubeum* adpellarit. Varia in utroque spuria et frivola esse, vix est, quod moneam. *Leonardum de Vienna* et *de Valle Brixinensi* eundem esse, jam ad Cod. CCCXLIII. monui.

DLXXXVIII.

188 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 119. f. varia a variis descripta continens Opuscula pertinuit olim ad hujatem Conventum FF. Praedicatorum; Ita enim ad marginem inferum fol. 3. legitur: *Iste liber est conuentus Wien. in Austria ordinis praedicatorum A. domini 1462. ligatus et de cella fratris Leonardi deputatus ad catenacionem. Primum, quod occurrit, est: Inquisicio Qualia danda sint consilia in tempore hoc. anno videlicet 1462 super placando diuinam maiestatem, quatenus vniuersitas fidelium tocius domus Austrie liberetur a calamitatibus &c.* Constat *Epistolis III.* inscriptis: *Sacri Furis canonici ac arcium liberalium professori perspicacissimo Reuerendo in christo Patri. domino Johanni de Oetting seu Oeding Alme ecclesie Faurien. preposito, nec non et reuerendissimi domini ordinarij nostri Patavien. in spiritalibus iurisdictionibus vicario seu of-*

ficiali per austriam, Autore supra dicto *Fratre Leonardo de N. conuentus wien. ordinis praedicatorum*, ut ex initio *Epistolae II.* liquet. *Prima Capitibus XIV.* definitur, urgetque vitae et morum emendationem in populo, majoremque Cleri in sacris muneribus vigilantiam et fervorem. Data est *Anno domini 1462. In die circumcissionis.* Reliquae duae breues sunt, idemque tractant argumentum. *Calamitates* in Titulo memoratae turbas eo tempore inter *Fridericum* Imp. fratrem ejus *Albertum*, et *Austriae* Proceres motas notant, de quibus Historici domestici passim, in quibus *Marcus Hansfzius Germ. Sacrae T. I. p. 572.* et Opusculi nostri meminit. De Autore *Leonardo de Valle Brixinensi* plura ad *Codd.* praeced. duos, et CCCXLIII.

II. fol. 3. sequitur *Dialogus* inter *Catholicum* et *Haereticum Patarenum*, qui absque Titulo incipit: *Vergente ad occiduum mundo et instantibus periculosis temporibus &c.* et finit: *Stulti, solus christus est hostium per quod intratur ad regnum celorum, ad quod &c.* Editus est ab *Edm. Martenio T. V. Thes. novi Anecd. col. 1703.* sed nobis subiecta est anathematis formula hoc initio: *Excommunicamus et anathematizamus vniuersos hereticos Catharos Patarenos Pauperes de Lugduno &c.* quam illius Codices non exhibebant, quaeque sumpta est ex *V. Decret. tit. 7. c. 15.*

III.